

[ I E S V S E R G O iam non in palam ambulabat apud Iudæos.] Euangelista fugam, & latibula C H R I S T I non omittit, ut hoc exemplo (quo Christus impiorum furori ad tempus celsit) doceamur non licere ut quis sua se temeritate in præsens periculum injiciat, si possit citra offensam Dei effugere: quòd si citra Dei offensam, ac mandati diuini præuaricationem effugere non liceat, fidenti animo, & constanti fide periculum præsens aggrediendum est. Certus igitur esse debet auxilij diuini, quisquis sic in fide periculo ob oculos posito, se exposuerit. Est enim Deus adiutor in necessitatibus. Gloria, honor, & mandatum Dei eò fidentem compellunt, non autem temeritas. Ista docuit C H R I S T V S discipulos suos, Matthæi capite 10. Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Proinde I E S V S (quem nihil fugiebat) etiam si nemo destinatam Pontificum, & Phariseorum malitiam detulisset, fugit, non metu crucis, quam volens subiit, dum venit hora: sed seipsum verè hominè demonstrauit: à publico abstinebat ad tempus, ne furorem furor: i adderet.

Periculũ præsens quãdo aggredendum.

Quãdo fugiendum

[ I E S V S abiit in regionem iuxta desertum ] A Bethania abiens longius se subduxit à vicinia vrbis Ierosolymę Prophetarum interfectoricis, concessit in regionem iuxta desertum, non quæ extra Iudæam fuerit, sed duobus vel tribus miliaribus ab Ierusalem. Creditur & hæc regio olim Moabitarum fuisse.

Moabitarum

[ I N ciuitatem, quæ dicitur Ephrem.] Concessit Christus in ciuitatem nomine Ephrem. Græci legunt *hegala*, atq; ita refert Hieronymus in locis Hebraicis. Hoc abscessu Christus designauit, impijs Iudæis suã Synagogam esse relinquendam, ac nouam gentem (quæ non sterili, & umbratili Mosaicæ legis opere, sed Euangelica fide niteretur) sufficiendam, & in vnum congregandam esse designauit, quæ iuxta vocis Hebræę Ephrem (quæ interpretatur frugifer, aut crescens) præfagium, ex minimis inijs cresceret in immensum. Sterilis quidem erat Gentium Ecclesia, quæ recepto Euangelio fecunda facta est. Ad quam Esaias ait, cap. 54. Letare sterilis, quæ non parit, eripe, & clama: quia multi filij desertæ magis, quàm eius, quæ habet virum.

Ephrem